

## NUMMVS TRIVMPHALIS

## PHILIPPI SECVNDI HISPANIA

rum regis: cufus victoriâ ad Gravelingam  
partâ: Anno Christi

1558.



**C**VM Thermus Regis Galliarum Marefcallus, occupatâ Dünkerkâ, indignisque modis direptâ, arthritide vexaretur, Villabonio exercitum tradit: qui non minus atque ille, nimiâ licentiâ militibus concessâ, viciniam incendiis ac direptionibus crudelissimè foëdat: Neportum usque excursiones faciens. Philippus itaque Hispaniarum Rex, ut tantam crudelitatem ac vastitatem à suis averteret, Gallos insolenter palantes, prædâque onustos, antequam novis auxiliis firmarentur, adoriri statuit. Vocato itaque è Flandria Egmondano summam rerum committit: qui paucorum dierum spatio ingentem equitum peditumque manum contrahit: exceptâ ingenti agriculturalum multitudine: qui recentibus injuriis lacerati ad ulciscendum se in castra contulerunt. Thermus cognito hostis adventu, dispersas vires suas undique revocat: & licet æger, equo tamen vectus castra in initio juxta Gravelingam metatur: viribus paulò post suis diffidens elabi Caletum versus statuit, maris æstu recedente. Quod cum Egmondanus animadvertisset, & ipse cum copiis suis trajicit: exercitum instruit: admissò equo impetum in hostes primus facit. Ancipiti diu pugnatum prælio: donec decem naves Britanniae majores, quæ à longinquo pugnam aspexerant, appulerunt ad dextrum latus, in quo Galli se tutos existimabant: agnitisque Gallorum insignibus tormenta in eos sua disploserunt. Quo factò soluris peditum ordinibus, dispersisque equitibus Gallorum acies nutare cepit, tandem